

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1763

Caput I. Marchiones hachbergici [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](#)

P E R I O D U S II.
 S I V E
 H A C H B E R G I C A.

C A P U T I.
 M A R C H I O N E S H A C H B E R G I C I

A N T E I L L O R U M I N D U A S L I N E A S
 D I V I S I O N E M .

§. I.



Hachberga , ceteris Brisgoviae castris præstantius ,
Hach-
berg Ca-
 monti molliter edito impositum ; substructionum,
strum.

arearum , hortorum varietate amoenum ; turribus
 & ferreis portis olim formidabile , quinque leucis

Brisaco , tribus distans Friburgo ; caput fuit Dynastiæ , quæ
 Marchionatus appellari cœpit , postquam Henrico , ex Marchionum
 Zaringo-Badensum sanguine nato , in patrimonialium terrarum
 divisione tractus ille obvenit . In Charta Tennebacensi A. 1161 .
 prima Castrum Hachberg mentio fit , quod sub Carolis , Marchionibus

T t 3

Badæ, & sub Friderico VI. præsertim (a) auëtum atque perfectum,
a Ludovico XIV. destructum. (b)

Alius temporum progressu invaluit usus , ut arx hæc contra veterum chartarum fidem *Hochberg*, id est *Altus Mons* (c) diceretur. *Hachberg* autem Hachonis montem designat. Hachonem, in Caroli M. castris militantem , arcem hanc condidisse , vetus apud Badenses traditio fuit, quam **L A Z I U S** (d) aliqui magno numero adoptaverunt scriptores , quamque Carolus II. Marchio Inscriptione, A. 1554. lapidi incisa , propagavit ad posteros. (e)

(a) A. 1668. Vid. CHRISTIANUS KECKIUS in *Panegyr. Friderici VI.* pag. 71.

(b) A. 1689. die 17. Febr. pyro pulvere solo æquatum est per Fayum, Friburgi præfectum.

(c) In vicinia tamen ejus mons altior extat ; unde etymologia hæc locum habere neguit.

(d) *Migratio Gentium* pag. 402. Qui Hachonem tractum illum à Carolo M. in beneficium accepisse vult.

(e) Inscriptio hæc est :
 „ Me primus Carolo imperante Magno Hacho , unde nomen mihi, A.
 „ Dom. DCCCVIII. erexit. Ornatiorem Carolus quondam Badæ
 „ Marchio regnante Friderico III. fecit. Jam vero ob edacem ac
 „ ruinosam vetustatem Carolus , magni animi Princeps, Badæ &
 „ Hochbergæ Marchio, cuius effigiem hic cernis , tum reinstaurari
 „ tum adversus hostiles impetus in sui suorumque munimen &
 „ refugium prompto subiectorum auxilio præmuniri curavit, gubernante
 „ Carolo V. Imp. Aug. „ P. F. A. Dom. MDLIIII.

Lapis A. 1749. ex ruderibus Castrri Serenissimi Marchionis CAROLI FRIDERICI
iussu, Emmendingam translatus , in Ecclesia servatur.

Haichones haud raro memorantur in Chartis. Haicho ex Etichonis, Alfatiæ Ducis, sanguine An. 723. suam Honaugiae partem Honaugiensibus Cœnobitis donavit. (f) Eodem seculo in Episcoporum Argentinensium catalogo Haicho Antistes occurrit. Haicho, Vodalberti filius, bona quædam in Marca, ad Hasumwanc sita, Monasterio S. Galli, regnante HLudovico Germaniæ Rege, A. XV. concessit. (g) Henricus de Hacha, Brisgovicus Eques, in Teutonici idiomatis Charta An. 1279. memoratur. (h) In Saufenbergica Dynastia haud procul Augena locus est Hach. Quicunque fuerit Hacho, Castrum Brisgovici conditor, nulla Hachbergæ mentio mihi ante sec. XII. occurrit.

§. II.

Fridericum I. Imp. extincta Hachonis familia, Castrum cum terris Marchioni cuidam Veronensi, quem ex Italia secum adduxerit, donasse, multorum, ut supra annotavi, opinio est. Alii Henrico Aucipi, Marchionatum Germaniæ conditori, originem Marchiæ hujus, ut & Badensis, adscribunt; institutos eos fuisse credentes, ut Germaniam contra Francorum occidentalium sive Gallorum incursionses defenserent. SPENERO,

Marchiæ
Hach-
berg.
origo.

(f) *Alsat. Illustr.* Tom. I. pag. 785.

(g) *GOLDAST. Rer. Alemannicar.* Tom. II. P. I. pgg. 25.

(h) *Charta Tabularii San-Blasiani.*

SCHURZFLEISCHIO, (i) IMHOFIO, (l) PFEFFINGERO, (m)
GUNDLINGIO, (n) DIETHERRO (o) aliisque haud paucis
sententiam hanc probari potuisse, mecum omnes mirabuntur,
qui Henrici Aucupis ævo inter Galliae Germaniæque Regna
Mofam limitem extitisse cognoscunt. Mosa ergo fluvius adversus
Gallos Marchionatu instruendus tum fuerat, non Rhenus.

Ex Hermannidis Badenibus quartus Hermannum V. &
Henricum I. filios reliquit, quos inter divisa sunt opes paternæ.
Ugovicas Hermannus, Brisgovicas Henricus fortiti sunt
Marchiones, possessionibus suis Marchionatus axioma paulatim
communicantes. Allodialis uterque Marchionatus fuit, donec
Badenis seculo XIV. Hachbergensis sec. XV. libera Marchionum
oblatione feuda Imperii fierent. Marchia vera si ab origine sua
fuissest Hachberga, ab origine quoque sua feudum extitisset Imperii.

H E N R I C U S I.

Ab A. 1190. 1231.

§. III.

Henricus, Familiae Hachbergicæ auctor, sine fratre
Hermanno Abbatiae Tennebacensi villam & ecclesiam in Muosbach,
in

Hereditas & tili
tuli ejus.

-
- (i) *De rebus Badenf.* §. III. pag. 277.
 - (l) *Notitia Procerum Imp.* Lib. IV. Cap. VIII.
 - (m) *Ad Vitriar.* Tom. II. pag. 655.
 - (n) In *Otiis Part.* I. pag. 102, ubi Marchionatus Hachbergæ & Badæ contra
Burgundos institutos fuisse arbitratur.
 - (o) *Addit. ad Besoldi Thesaur.* pag. 73.

in Hachbergenſi Marchionatu ſitam , paulo ante mortem fuam , in *Castro Burchhem* , conſentiente uxore cum duobus filiis fuis , donavit ; fratriſ quoque conſenſum haud dubie adhibitus , ſi ei in has terras tum aliquid juris fuifet. Imo idem Henricus noſter jam A. 1212. *Marchio de Hahperg* in literis Friderici , Romanorum Regis , vocatur. Brevi poſt mortem Hermanni IV. diſtioneſ terrarum inter filios ejus iſtitutam fuiffe , hinc recte inferimus. Neque tamen gentilitium Marchionis *de Baden* axioma Hachbergenſis ille Henricus depoſuit ; (p) id quod non una illius ævi Charta demonstrat. (q)

§. IV.

Idem Henricus Egnolfum de Landſperg , civem Argentinensem , quum captiuum teneret , Fridericus II. Rex Romanorum , ad preces Argentinensium , literis , anno Regni primo (r) Constantiae datis , eum graviter hortatus eft , ut Landſpergium dimitteret liberum. (s) Quod cum facere detrectaſſet

Res
geſte.

(p) Falſo hoc crediderunt DROLLINGER in Lexico Basil. voc. *Hachberg* , & PΙSTORIUS in Tabula Geneal. Marchionum de Hachberg , iſerta T. III. Script. Rer. Germ. pag. 782.

(q) Vid. Docum. A. 1226. 1230. 1231.

(r) A. 1212.

(s) Friderici literæ ad Argentinenses extant in WENCKERI *Colleſtan. Archivor.*
& Cancellariæ pag. 355.

Henricus, Advocatis suis per Alsatiam Cæsar injunxit, ut Argentinensibus sua ope assisterent. (t)

A. 1226. Henricus noster cum fratre Hermanno iura sua in hereditatem Gertrudis, Comitissæ Dagsburgicæ, neptis suæ ex sorore, in Ecclesiam Argentinensem transtulit. (u)

Extat Henrici, Romanorum Regis Charta Anni 1230. qua Egenoni, Comiti de Friburg, omnem *rancorem atque indignationem* remittit. Testes sunt *H. & H. Marchiones*; quibus filiis Hermannum & Henricum, Marchiones Badenses, intelligi, auctoritate Chartæ, quam modo retulimus, non licet dubitare.

Anno eodem vel sequenti Henricus Monasterio, ut diximus, Tennebacensi villam & ecclesiam in Muosbach, ut & silvam cum hominibus & rebus eo pertinentibus, jure perpetuo concessit. Cum autem villa pro xxv. & silva pro xxx. marcis argenti Usenbergæ Dynastis oppigneratae fuissent, Burcardus & Rudolfus fratres de Usenberg eas Tennebacensibus redimendas dederunt.

Landgraviatus Brisgoviae, antiquissimum Zaringicæ gentis patrimonium feudale, quem, instituta Badensium linea, sibi servaverant Zaringi, Zaringis A. 1218. extinctis, ad Henricum hunc quoque Cæfaris beneficio pervenisse videtur.

(t) Vid. WENCKERUM ibid. & Cod. Diplom.

(u) Charta ait: *Hermannus & Henricus fratres De gratia Marchiones de Baden.*
Conf. supra in Hermanno V. pag. 309.

Nec dissentit a me PISTORIUS; (x) qui in Abbatiae Albæ
Dominorum (y) literis A. 1230. eum adhuc nominari arbitratur. (z)

Obiit Henricus A. 1231. quo literas, donationem ejus ^{Mors & Uxor.}
Tennebacensem, de qua supra, confirmantes, circa ipsum, puto,
mortis ejus tempus conscriptas, habemus. Agnes Habsburgica
ei uxor tribuitur. (a)

H E N R I C U S II.

Ab A. 1231. — 1290.

§. V.

Henricus II. patre ejus moriente, puer fuit sub matris ^{Sub tu-}
constitutus gubernio. Hæc donationem, a marito nuper defuncto, ^{tela.}
Tennebacensibus factam, cum filiis suis denuo firmavit. (b)

Duos minimum filios & quidem pueros, Henricum I.
reliquisse, ex Bertoldi, Episcopi Argentinensis, Charta illius
temporis docemur. Antistes hic, ex Teccensium Ducum Familia
natus, adeoque cum Zaringo-Bada-Hachbergicis sanguine junctus,

Vv 2

(x) In Tab. Geneal. l. c.

(y) Herrenalb.

(z) Jo. GAMANS. in *Geneal. Badenf.* pag. 161.

(a) PISTORIUS l. c.

(b) Cod. Diplom. A. 1231.

agnatorum suorum curam laudabilem geslit. Ita enim occasione Monasteriorum Burgelen & Sitzenkirch, quae in tractu Saufenbergico sita, scripsit Bertoldus : „ Sicut & alia bona consanguineorum „ nostrorum puerorum , videlicet bonæ memoriae Marchionis , „ sub nostra protectione recipimus. „ Junior Henrici II. frater quod nomen habuerit , & quo devenerit , nullæ nos rerum memoriae docent. (c)

§. VI.

Pistorius heic in alia omnia discedit , atque duos generationum gradus inter Henricum I. & II. effingit , modo sequenti :

Henricus I. † 1231.

Hudolphus I. Marchio Hachberg. 1239. & 1248.		Hermannus I. Marchio Hachberg. 1248.
Henricus II. dictus antiquus , Marchio Hachberg. 1261 - 1285.		
Fridericus.	Rudolfus II. Marchio	Henricus III. Marchio Hachberg.
	Hachberg. 1290.	& Landgrav. Brisgov. emit Maltertingam 1296.

(c) Forte ecclesiasticum amplexus est statum, & idem est, qui in Charta A. 1232.
legitur : *W. Canonicus Turicensis & Marchio.*

Tennebacensis Charta quum nec uxoris, nec filiorum Henrici I. expresserit nomina, in auxilium ille vocat Badenses, atque ex eorum Genealogia Rudolphum ac Hermannum mutuat, ut in Hachbergicam eos Genealogiam transferat, auctoritate Chartæ A. 1248. ut videtur, innixus.

Enimvero Hermannus & Rudolfus fratres, Marchiones de Baden, Heffoni de Usenberg feudum in *Eiflat*, Hachbergensis Marchionatus vico, concederunt. Sed Charta hæc ad Hermannum atque Rudolfum, Badenses, Hermanni V. filios, pertinet; qui investituram & Chartam in Castro suo *Mulenberc*, Marchionatus Badensis, haud procul Durlaco, dederunt; ex linea seniore prognati, quibus investiendi jus reservatum fuisse, non absque fundamento conjicimus.

Pistorium hæc investitura seduxit, quod Hachbergicos Marchiones eam dedisse existimaverat. Vicus Eichstatt enim Marchionatus Hachbergici partem constituit. Cærimoniam in Marchionum Badensium Castro Mulberg factam fuisse, si observasset Pistorius, Genealogiæ Hachbergicæ non immiscisset Badenses. Unde in Badensi & Hachbergensi schemate uno eodemque tempore Hermanni & Rudolphi fratres comparent; ex Badensi linea in Hachbergensem quoque a Pistorio translati. Enimvero Badenses Hachbergensisibus rebus sese immiscere potuerunt; vel quod Henricus II. patruelis eorum, ætatis nondum fuerat maturæ,

vel quod feuda conferendi jus Badensis senior Gentis sibi servaverat
vel linea prior.

Seducti
alii.

Pistorium tamen RITTERSHUSIUS, (d) SPENERUS, (e)
SCHURZFLEISCHIUS, (f) IMHOFIUS, (g) aliique Genealogi
certatim sequuntur, Henrico I. Rudolphum & Hermannum;
Rudolpho Henricum II. filios attribuentes.

FOERSTERUS, (h) &, qui ejus vestigia legit,
DROLLINGERUS, (i) Henricum nostrum constituant Henrici I.
nepotem; sed Marchionis, qui intermedius fuit, reticent nomen.

§. VII.

Rationes
contra-
riæ no-
stræ.

Re tamen bene perpenfa generationes illas duas, quæ
inter Henricum I. & II. ponuntur, delendas esse censemus. Non
unum nobis occurrit exemplum, quo Marchiones Badenses inter
An. 1230. & An. 1250. in Hachbergensibus terris jura quædam,
ut Domus suæ seniores, exercuerunt.

Hermannus Marchio de Baden, & Egino Comes de Friburg
An. 1234. de argentifodinis & custodia silvarum per Brisgoviam

(d) *Genealog. Tab. 126.*

(e) *Syllog. Historico-Genealog. pag. 612.*

(f) *De Rebus Badenf. §. IV. Dissert. pag. 278.*

(g) *Tabb. Geneal. Part. II. Tab. 76. HUBNERUS Tom. I. Tab. 229.*

(h) *Relatio Genealog. Ms. Cap. II.*

(i) *Lex. Basil. voce Hachberg.*

inter se disceptabant. Litem Henricus, Romanorum Rex, XV. Cal. Martii ejus anni pro Eginone decidit. (k)

Anno 1248. Hermannus atque Rudolfus Badenses feudum, in Eichstatt situm, Usenbergiis contulerunt. (l) Nemo tamen hinc inferat, Hachbergicas terras ad Badenses tum pertinuisse Marchiones; nec ex altera parte Lineæ Hachbergensium inferat Marchiones Badenses. In Illustribus familiis frequens est, ut regalia quædam jura, præcipue collationem feudorum, senior sibi linea reservet. Fortassis Landgraviatus Brisgoviae jura sibi quoque reservaverant Badenses. Stat ergo sententia, quæ Henrici I. filium & successorem constituit Henricum II. dictum *Equitem*, qui post An. 1248. ipse Hachbergam suam regere potuerat.

§. VIII

Ille profecto An. 1256. litem inter Nobiles de Weisweil & Abbatem Tennebacensem de vico Harderen composuit. (m)

Anno 1261. Henricus bonorum Musbacensium donationem, quam pater ejus Tennebacensi Monasterio fecerat, quamque mater vidua cum pueris suis mortuo confirmaverat patre, & ipse Marchiaæ suæ rector tempore Paschatis confirmat Hachbergæ.

(k) Quatuor post mensibus idem Rex eundem Eginonem de pluribus fluminibus in Brisgovia & montanis adjacentibus investivit. Vid. Cod. Diplom.

(l) Vid. supra pag. 341.

(m) Teste FOERSTERO Cap. III.

In diuturno illo civium nobilium Basileæ dissidio An. 1262. Marchiones Hachbergæ (Henricus noster sine dubio & frater ejus aut filius) a partibus societatis, cui a *Psittaco* nomen, (n) steterunt.

§. IX.

Heitersh.
donatio.

Circa Annum 1270. Fratribus Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani in Friburg bannum, advocatiam & jura, quæ ei in villam Heitersheim ejusque districtum competebant, in speciale feudum Henricus Eques concessit. Literæ ipsæ non prostant, sed supereft Charta, qua filii ejus, Henricus & Rudolphus, eandem concessionem confirmantes, indicant, eam viginti circiter annis ante factam esse, quam pater se regimine abdicasset. Abdicatio autem, uti infra patebit, circa An. 1290. facta est, adeoque traditio Advocatiæ in Heitersheim circa A. 1270. ponenda.

Arbiter
electus.

Anno 1273. Rudolfus Habsb. & Heinricus Friburg. Comites inter se & Episcopum Bafil. judices compromissarios elegerunt Burggravium de Nurnberg & H. Marchionem de Hachberg. Chartam dedit **URSTISIUS**. (o)

Anno

(n) Des grünen Psittichs. Factio contraria fuerat Nobilium de Stella.

(o) *Chron. Bafil.* Lib. II. pag. 133.

Anno 1276. Rudolphus Imp. nobili viro H. Marcgravio de Hachberg & Sculteto Brisacensi commisso se scribit, ut litem inter Abbatiam Tennebac. atque fratres de Keppenbach super quibusdam aquis & pascuis dirimerent. Diploma XIII. Kal. Maji Hagenoæ perscriptum.

§. X.

Brevi post, VIII. nempe Idus Julii, Heinricus Marchio de ^{Acta ab}
^{An. 1276.} Hahberg, bonæ memoriae Heinrici Marchionis, ut ipse testatur, filius, Monasterio Tennebacensi ad Ecclesiæ majoris Constant. Capitulum literas commendatitias dedit, ut fructus ecclesiæ in Musbach, quam a patre suo dono acceperat, Monasterium perciperet. In Castro Hahberg literæ hæ conscriptæ fuerunt.

In Rudolfi Rom. Regis privilegio Civitati Rhinfeldensi II. Kal. Aug. An. 1276. Basileæ dato, primus inter nobiles viros testis est Heinricus Marchio de Hahperch. (p)

Idem Henricus A. 1277. Olsbergenfi Monasterio seminarum, Oelsberg haud procul Rhinfelda sito, promisit, se de bonis ejus, in villa Blansingen sitis, quorum jus Advocatiæ ad eum spectabat, ratione juris hujus nihil exacturum esse, præter duo maltheros siguli &

(p) HERRG. Geneal. Habsb. Tom. III. pag. 461.

unam pſoumam vini. Dedit hanc Chartam Henricus Rhinfeldæ, ad preces inclitæ Romanorum Reginæ Annæ, quæ eum in ipsa hac Charta *Avunculum* suum vocat, sigillumque suum appendit. (q)

§. XI.

Acta ab
An. 1278. **A**nno 1278. Henricus noster cum Episcopo Basil. & Friderico, Burggravio Noribergensi, equites 800. Rudolpho I Rom. Regi adduxit; quum is secundam expeditionem contra Ottocarum, Bohemiæ Regem, Augusto menfe fusciperet. Tum vero Aquilam Imperii gessit Henricus, inter præcipuos belli dux, consilio & manu fortis. (r)

Patruelem ejus Rudolfum, Badae Marchionem, bello persecutus est Cæsar. Cæsar præcipuus propugnator fuit Henricus noster, Marchio Hachbergæ.

Anno 1279. die S. Ceciliæ *Henricus Marcgravius nobilis Dominus de Hahberg* agros Dieterico Advocato de Landeck a subditis suis in Malterdingen locatos esse fatetur.

Anno 1281. *Henricus Marchio de Hahberg* in villis Eggenheim & Schalsingen fundos, quos civis quidam Neuenburgensis in feudum tenuerat, Abbatiae Blasianæ dono dedit.

(q) Codex Dipl. De Instrumento hoc & nomine *Annae* eruditus commentatus est Ampliss. HERBSTERUS in *Carlsruher Samml.* pag. 81. sq.

(r) ALBERT. ARGENT. pag. 102. FUGGER Oefferr. Ehrensp. Lib. I Cap. XII. URSTIS. *Chron. Basil.* pag. 138.

Anno 1282. Hermannus Marchio de Baden & Henricus
 Marchio de Hachberg literas investituræ, quam Rudolfus I. Imp.
 filii suis, Alberto & Rudolfo, super Ducatum Austriae dedit,
 Augustæ Vind. VI. Kal. Jan. testes cum aliis Imperii Statibus
 signarunt. (s)

Heinr.
testis.

§. X I I.

Idem Henricus II. Marchio testis fuit transactionis inter
 quatuor fratres Furstenbergicos super Villingam An. 1284. quo
 reditus curtis suæ in Wettelbrunn Tennebacensibus donavit.
 Eodem anno Kunigunda atque Elisabetha, Henrici filiae, cum
 Monasterium Adelhausen (t) prope Friburgum ingressæ fuissent,
 decimas in Uchtingen prope Burckhemium sustentationi earum
 pater destinavit, hac lege, ut ipse & posteri sui decimas has centum
 marcis argenti redimere possent. Acta hæc sunt Anno 1284.
 Friburgi die Mercurii post Dominicam Palmarum.

Acta An.
1284. sqq.

Anno 1285. Henricus Marchio de Hahberg consensu Domine
 Anne uxoris sue legitimæ ac filiorum suorum, Heinrici, Ruodolfi &
 Friderici, aliorumque omnium liberorum suorum Abbatiae Tennebac.

X x 2

(s) Vid. *Recueil des pieces de la Dédiction des droits de Baviere & la Réponse de Vienne*, Tom. II. pag. 428.

(t) Monasterium hoc cum aliis extra urbem destructum est seculo superiore,
 cum Friburgum post pacem Neomag. muniretur à Gallis.

reditus V. marcarum in Malterdingen donavit. Chartæ huic, apud *Hahberg* datæ, appensa sunt sigilla *Heinrici Margravii de Hahberg*, *Anne Margravie*, *Heinr. March. Junioris de Hahberg*.

Anno 1286. vigilia S. Laur. Heinricus Margravius de Hahberg monasterio Adelhusen, ubi filia ejus, ut jam dixi, vivebant, censum donavit, quem ex curia ejus in Grisheim Brunwartus de Oughein, Miles, in feudum tenuerat. Testes Joh. Dom. de Schwarzenberg, Heinricus, Margravii filius natu major. &c.

Anno 1289. Rudolphus Rom. Rex Comitem Eginonem de Friburg & Cives Friburg. inter se bellantes, ad concordiam reduxit; adhibito consilio Argentinensis atque Basiliensis Episcoporum, & *Henrici Dei gratia Margravii de Hahberg, Landgravi Brissgoviae*. Data est Charta Basileæ, festo S. Matthæi. (u) Appendet ei sigillum *Heinrici Margravii de Hahberg*, in quo Heinricus fistitur equo infidens, galea, thorace, clypeo, hastaque instruētus.

§. XIII.

FitEques
ordinis
Teuton.

Postrema hæc occurrit Henrici II. mentio. Brevi enim post regimini valedicens, Ordinem Fratrum de Domo Teutonica

(u) Verba sunt: mit Hülfe des edilne Herrin von Gottes Gnaden Margravin Heinrichs von Hahberg, der Landrichter ist in Brissgowe. Pittorius eum Landherr in Breisgau vocari contendit, sed errat.

ingressus est. Testantur id Literæ, Ordini S. Johannis Hierosolymitani a filiis ejus An. 1297. datae, quibus illi patrem hereditatem suam sibi reliquisse, & religionem Equitum Teutonicorum intrasse profitentur. Quin & ipse pater Chartæ filiorum testis subscripsit: *Presentibus fratre Henrico de Hachberg patre nostro predicto nunc de Ordine fratrum de Domo Teutonica.* Insigni ergo favore Sacros Ordines Equestris complexus est Henricus. Postquam enim ante annos XX. Hospitalariis Fratribus S. Johannis jurisdictionem & Advoçatiam in Heitersheim dedisset, ipse denique inter Fratres Teutonicos suum professus est nomen.

Anno 1289. inter socios Friderici, Ducis Lotharingiae, Margravius de *Hahperch*, sed sine nomine, legitur. (q) At in Charta anni sequentis, qua fœdus renovatur, ab initio statim occurrit *Henricus Marchio de Hacbourg.* (xx)

Obitse videtur paulo post An. 1297. (y) appellatus a posteris *Eques.*

§. X I V.

Pistorius uxorem ei affignat Annam de Altzena. Filios ^{Uxor &} _{liberi.} progenuit Henricum & Rudolfum, paternorum bonorum heredes;

X x 3

(x) Apud CALMET *Hist. de Lorraine*, Probat. Tom. II. col. 530.

(xx) Ibid. col. 533.

(y) DROLLINGER in *Lex. Basil.* in voce *Hachberg* annum mortis 1321. affignat, filium cum patre confundens.

ut & Hermannum, qui Ordinis Equestris S. Johannis per Alemanniam Prior per tres annos fuit, ut Pistorius quidem existimat. Is in Charta sui ex fratre nepotis Anno 1318. adhuc testis occurrit. Obiit II. Idus Aprilis An. 1321. Friburgi in Brisgovia, in Ecclesia S. Johannis, quæ seculo superiore, cum urbs muniretur, destructa est, sepultus, ubi & epitaphium ejus olim legebatur:
 „ Anno Domini 1321. 2. idus Aprilis obiit frater Hermannus de
 „ Hachberg, Prior Alemanniæ superioris. (z)

Tres præterea filias Henricus II. reliquit; Agnetem, uxorem Waltheri a Richenberg; (a) Kunigundam & Elisabetham Sapctimoniales, de quibus jam actum.

(z) FOERSTER Cap. III.

(a) Hanc nobis indicat Charta An. 1309. Archivi Bada-Durl.



CAPUT